



JANEIRUS
DE VITIS
EXICANORVM

—
PARS III.

F1205

M27

V. 3

c. 1

005775



1080026355

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

3-14-83 MICROFILMADO R=45%

JOANNIS ALOYSII MANEIRI
VERACRUENSIS

D E V I T I S
ALIQUOT
MEXICANORUM
ALIORUMQUE

Qui sive virtute, sive litteris Mexici
in primis floruerunt.

P A R S T E R T I A .



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valerio y Tolosa

BONONIÆ

Ex Typographia Laelii a Vulpe 1792.
Superiorum permisso,

UNIVERSIDAD NACIONAL DE NUEVO LEÓN
CASA DE ALMENAS MUSEO UNIVERSITARIO
MICROFILMADO

F1205

M 27

v. 3

(3)

PRAEFATIO.

Fuit quidam mihi familiaris, et multis nominibus charissimus, qui benevole, ut omnia sollet, monere me dignatus est, perperam fortasse a nonnullis intellectum iri, quod in prima hujus operis parte scripsi super ulnis, quibus Mexici amplitudo conflatur. Et prefecto male audiet, tantae civitatis unumquodlibet latus ulnis duntaxat octingentis, et quadraginta constare; nisi meum hoc propositum vel corrigam, vel enucleem. Quare velim, sciant omnes, qui Mexicanum ibi descriptam legerint; ulnam eo loci debere intelligi, qua Mexicanani decempedatores utuntur. Quod si haec, ut audio, ad viginti majores palmos, sive dodrantes, extenditur; plane liquidum erit, vulgarem ulnam geometrice se habere ad Mexicanam illam, qua ratione sextus numerus ad vicesimum. Cum autem post pauca verba sermo mibi est de viarum urbis latitudine ad ulnas fere quindecim spatiose, vulgares ulnas intelligo; quae nimirum adhibentur, quoties de parvis agitur dimensionibus: nam quemadmodum qui agros metitur, cubito non utitur; ita nec decem-

A 2 pedam,

005775

(4)

pedam, nec perticam, nec aliam quamvis maior-
rem ulnam adbibet, qui spatium modicum dime-
titur. Aequa certe rideres ad metientem agros
palmis, quam ad metientem angusta quaevis de-
cempeda. Haec dicta sint in hominum obsequium,
quibus apprime cordi est Mexicanae amplitudinis
gloria. Caetera quidem, ut veritatem sancte co-
lere primum mibi est institutum; nihil admodum
gravabor; a benevolo quoque appellatus, vel ex-
pendere ad perspicuitatis terminos, quae in meo
scripto sint obscura; vel omnino errores, quos
ab infirma mortalitate admiserim, recantare.

XAVE-

(5)

XAVERIUS RIVERUS.

TArascorum olim regnum, Mexicano fini-
timum, vastissima regio est, multis no-
minibus dives, amoenaque, ac fertilis ad
prodigium. Hodie principem habet ur-
bem Vallisoletum, inter amplissimas in Novo-
hispanis quam Antonius Mendoza, ex Hispaniae Proceribus, primus Mexicanorum Praetor
a fundamentis erexit; eidemque id nominis in-
didit, quoniam tum ab amplitudine, ac figura
vallis, tum a corona montium, qui vallem clau-
dunt, tum etiam ab intersecante, irriganteque
vallem flumine, Vallisoletum in Vaccaeis re-
praesentari sibi videbatur. Sedes illa est Mi-
choacanensium Pontificum, elegans aedificiis,
vigens commerciis, multis ornata emblematis,
antiquo plumiorum more vermiculatis; cuius
artis postrema vestigia aetate nostra in Taras-
chis florebant. In hac urbe natus est nobilibus
Parentibus Xaverius Riverus tertio Nonas De-
cembres, anno 1729. Non is certe fuit Rive-
rus, qui vel docendi peritia, vel regendi pru-
dentia, vel dicendi facundia excelleret; non
etiam ex iis, qui praeclaris in rem publicam ge-
stis magnum nomen posteritati relinquunt. Enim-
vero, tametsi vir iste sibi uni natus videretur;
ut tamen varia virtutis genera sunt in domo
Domini, ad Sanctimoniae portenta sine dubio

A 3

an-